



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Westphalia Sancta, Beata Et Pia, Sive Vitæ Eorum Qui sua sanctitate et piis exemplis Westphaliam illustrârunt

Complectens eorum vitas, qui certò aut verisimiliter Natione Westphali
reperiuntur cum titulo Sancti aut Beati

Strunck, Michael

Neuhusii, 1715

S. Eynardus Eremita Altenae in Comitatu Marcano

urn:nbn:de:hbz:466:1-28481

suū de statu religioso ingrediendo aperiuisset conjugii, aurem ejus adeò facilem confestim nactus est, ut non modò ad pia Everwordi postulata consensum daret, sed etiam ad vitam Canonicam inter Virgines Freckenhorstenses propediem amplectendam ultronea voluntate se offerret. Quamobrem obtento hoc responso lætus citra omnem cunctationem rerum sæcularium curâ cœpit se exsolvere; suisq; facultatibus trifariam distributis, duas bonorum partes Collegio Virginum à se recenter condito velut in dotem contulit, tertiam ad Monasterium Fuldense secum asportavit, ubi suscepto religioso habitu sub regula S. Benedicti in omni demissione, castitate, abnegatione suū ac perfectā regularum observantia reliquam vitam egit, tandēmq; beato fine feliciter consummavit. Annum diēmq; obitus non licuit hactenus explorare.

S. EYNARDUS

Eremita in Marchia Westphalica.

S. Eynardum fastis Westphaliæ Sanctæ, Beatæ ac Piæ jam pridem inscriptum reperio apud Joannem Veldium S. J. qui in libello bello

bello ejusdem nominis olim à se concinnato, sed nondū edito ita de eo loquitur teste Bol-
 lando : *25tā Martii S. Eynardus Eremita in ca-
 stro Altena Comitatus Marchensis.* Veneratio-
 nē ejus jam ab antiqua memoria inter West-
 phalos omnino celebrem extitisse, satis com-
 probant Carthusiani Colonienſes, dum in
 Additionibus Uſuardi editis anno 1515, ac de-
 inde recuſis anno 1521 ita de eo ſcribunt : *In
 Altena caſtro Comitatus de Marcka S. Eynardi E-
 remita & Confessoris.* Similiter Martyrologi-
 um Germanicum Petri Caniſii anno 1573 &
 1599 impreſſum memoriam illius facit ad di-
 em 25tam Martii verbis hiſce : *In caſtro Al-
 tena in Marchia Comitatu S. Anachoreta & Con-
 feſſoris Eynardi.* De eodem denique in ſuis
 collectancis frequenter meminit Conradus
 Lutherus Rechlinghuſanus, olim Commiſ-
 ſarius Archiepiſcopi Colonienſis in Ducatu
 Weſtphaliæ & Marchia vicina, qui reliquias
 & nomina Sanctorum in ea Diœceſi diligen-
 tiſſimè perlustraſcit & inſpexit. Videatur Bol-
 landus in actis Ss. ad diem 25tam Martii to. 3.
 pag. 587. Plura de eo haſtenus reperire non
 licuit, cū cætera hujus Sancti acta & virtu-
 tes ornatiffimæ vel vetuſtate temporum in-
 terciderint, vel, quod verofiſſimè, in com-
 muni

muni illa religionis Catholicæ perturbatione, sacrilegis Hæreticorum invalescentium manibus nobis erepta ac dissipata sint. Quòd si aliqua hîc addenda cuiquam ad manus veniant, dignabitur id nobis aperire, ut in posterum adhuc typo dari, & foliis secuturis possint inseri.

B. GERTRUDIS De Volmundstein Virgo

Reclusa in Westphalia.

Refertur cum titulo Beata à Chryf. Henriq. in Menolog. Cisterc. ad diem 15 Februarii. Theod. Rhay in Anim. Illustr. ad eandem diem. Gelen. de Colonia Agrippin. magnitudine l. 2. Syntagm. 14 pag. 163 in margine. Labierio in Menelog. Virginum citato apud Bolland. in actis Ss. ad diem 15 Febr. inter prætermisissos. Agit de eadem Cesar. Heisterbac. l. 5. hist. memorab. c. 47. ex quo etiam hæc pauca de ejus vita desumpta sunt. Stemma Volmundsteinium olim suam sedem habuit in Comitatu Marcano haud procul à confluentibus Rura & Volmi. Annis tamen posterioribus extinctum, unà cum, hereditate sua & armis gentilitiis abiit in familiam Perillustrium Dominorum de Reck, qui adhuc hodie iisdem omnino insigni-
bus